CARTE, E DOCUMENTI

CONCERNENTI

LA NULLITA' DELLA SECONDA SENTENZA

Pubblicata li 10. Agosto 1788.

NELLA CAUSA MATRIMONIALE

DEL DUCA, E DUCHESSA DI MADDALONI.

1788.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

I N D I C E

Num. I.

Lett. A.

B.

C.

D.

E.

F.

Si rilevano i mali, che emergono da un tale Attentato anche a danno delle Anime, e della Republica; ed il rimedio apprestatovi da Sua Santità.

G.

S' indicano le pene Canoniche dal detto Vescovo incorse.

H.

S' insinuano i convenienti rimedj sull' esempio di altri Vescovi, e degli stessi Tribunali Laici caduti in simile errore.

I.

Si osserva finalmente la novità introdotta dal Vescovo nella propria intitolazione, surrogando alla solita formola *Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus*, l'altra non più intesa *Regis Gratia Episcopus*.

Num. II.

Lettera *in forma Brevis* dei 12. Settembre 1788. diretta a Maria Giuseppa de Cardenas Contessa dell' Acerra e Duchessa di Maddaloni. *Pag.* 13.

A.

Si avverte della Nullità della Sentenza di Monsignor Vescovo di Motula, e delle funeste conseguenze, se in forza di questa passasse alle seconde Nozze.

B.

Si ammonisce delle pene canoniche.

Num.III.

Num. III.

Lettera dei 10. Settembre 1788. diretta al Cardinal Arcivescovo di Napoli. *Pag.* 15.

A.

Protesta il Santo Padre di non credere alla voce divulgatasi, che il Cardinale avesse fatto registrare la Sentenza del Vescovo di Motula, e che la dilui Curia ne avesse spedita alla Duchessa di Maddaloni la Testimoniale; attese anche le di lui precedenti *Dichiarazioni*, e lo conforta a perseverare nelle sue giuste Massime.

B.

Lo previene delle Lettere *in forma Brevis*, che intendeva di spedire al detto Vescovo di Motula, e alla nominata Duchessa di Maddaloni.

C.

Insinua di avvertire subito la Duchessa, che non può passare ad altre Nozze.

Num. IV.

Lettera dei 16. Settembre 1788. diretta al medesimo Arcivescovo di Napoli. *Pag.* 17.

A.

Esprime Nostro Signore il suo Cordoglio nel vedere Verificata la voce del Registro, e delle Testimoniali suddette, fino allora non creduta.

Di-

B.

Dimostra, che la Clausola *dummodo non obstet aliud Canonicum Impedimentum* apposta alle dette Testimoniali dello Stato-libero, non può mai difendere la di lui condotta.

C.

Rimarcasi la sua Contradizione.

D.

Si rende consapevole della Lettera *in forma Brevis* spedita alla Duchessa di Maddaloni, e gli si manda Copia dell' altra trasmessa al Vescovo di Motula, affinchè conosca in quali deplorabili conseguenze sia ancor' Egli caduto.

E.

Si aggiunge, che dovea contenersi come ha fatto per l' addietro, anche sull' esempio di altri Vescovi del nostro tempo.

F.

Si conchiude, che dia il dovuto riparo.

Num. I.

Venerabili Fratri Ildephonso Episcopo Motulensi.

P I U S PP. V I.

Ven. Frater salutem &c. DEessemus Nos equidem Nostro, quo fungimur in Ecclesia Dei, Apostolico muneri, si hoc tempore tacendum Nobis esse duceremus, cum non sine Animi Nostri admiratione quamdam Sententiam legimus (*) quam Tu tamquam *delegatus Regiis Litteris ex die* 10. *Maji præteriti* pronunciasti Non. Julii in gradu Appellationis, quamque ab Rege *delegante* die 9. Augusti approbatam biduo post typis edidisti, atque evulgasti in Causa *Nullitatis Matrimonii*, „ quæ agitur inter Dominicum Martium Carafa Ducem Magdaloni, ac Defensorem validitatis Matrimonii ex parte una, & Mariam Josepham de Cardenas ex parte altera „; in qua quidem Sententia Tu, audito suffragio Consultorum ad eamdem Causam *Regiis* Litteris ex die 10. Maji delegatorum declarare, ac definire non dubitasti„ nullum fuisse & esse Matrimonium a nominatis Conjugibus contractum die 16. Octobris 1774. „ & per consequens exequendam esse Sententiam per Archiepiscopalem Curiam Neapolitanam latam sub die 4. Decembris 1784.

A

Accipe nunc, Ven. Frater, paternam Illius vocem, qui, ut probe nosti, cum miseratione divina in Cathedra Petri sedeat, jus habet Suprema Christi ipsius Auctoritate sibi collatum docendi, & confirmandi; ita enim comparati Animo sumus, ut & amanter tecum agere, teque benigne commonefacere velimus, quo errorem inspicias, in quem es miserè prolapsus, atque illum quamprimum corrigere in Animum inducas. Tua itaque isthæc Sententia hoc Nomine indigna prorsus est, utpotè quæ multis de causis irrita est, atque inanis, & actum præsefert scandali plenum, Ecclesiasticæ jurisdictioni injuriosum, & a nemine forsan antehac tentatum unquam, aut excogitatum.

B

Dogma

(*) La Sentenza del Vescovo di Motula si vegga alla pag. 19.

Dogma etenim Fidei est, ut Matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat, nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit „ unum ex Septem Legis Evan-„ gelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum „ quemadmodum adversus hæreticos, & impios homines Sæculi insanientes Sacrum Concilium Tridentinum sub *Anathematis* pæna definivit. Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, jus omne, ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic Contractui, ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de Matrimoniorum validitate, aut invaliditate judicium ferre; quod tam planum est, atque perspicuum, ut *Sancta*, & *Universalis* Synodus cupiens *occurrere temeritati* eorum, qui *scripto*, & *verbo* asseruerunt, & etiam nunc multi asserunt „ ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus „ probata consuetudine aliena „ peculiarem alium Canonem addendum sibi esse duxit, quo in Universum declararet, atque sanciret, ut „ si quis dixerit Causas Matrimoniales non spectare ad „ Judices Ecclesiasticos, anathema sit. „

Ignotum Nobis non est, quosdam adesse, qui Sæcularium Principum Auctoritati plus nimio tribuentes, & verba hujus Canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint ad *solos Judices Ecclesiasticos*, aut *omnes Causas Matrimoniales*, potestatem reliquerint Judicibus Laicis cognoscendi saltem Causas Matrimoniales, quæ sunt *meri facti*. Sed scimus etiam, hanc captiunculam, & fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim Canonis ita *generalia* sunt, *omnes ut causas* comprehendant, & complectantur. Spiritus vero sive *Ratio* Legis adeo late patet, ut nullum exceptioni, aut limitationi locum relinquant: Si enim hæ Causæ non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiæ judicium, nisi quia contractus Matrimonialis est vere & propriè *unum* ex *septem* Legis Evangelicæ *Sacramentis*, sicut hæc Sacramenti ratio communis est *omnibus* causis Matrimonialibus, ita *omnes* hæ Causæ spectare *unice* debent ad Judices Ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est Canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiæ juribus satis superque eorum scripta demonstrant; Etenim, ut verbis utamur Van-Espenii (*Jus Eccles. part.3. tit. 2. cap. 1. num. 4. & num. 11., & 12.*) *unanimi consensu* „ receptum est, Causas

„ Sacra.

„ Sacramentorum esse mere Ecclesiasticas, easque quantum ad
„ substantiam eorum, ad Judicem Ecclesiasticum *privative* spe-
„ ctare, nihilque circa eorum *validitatem*, vel *invaliditatem* Ju-
„ dicem Sæcularem posse decernere; eo quod hæ ex Natura sua
„ sint merè spirituales. Et sane si quæstio vertatur de validitate
„ ipsius Matrimonii *solus* Judex Ecclesiasticus est competens, *ipse-*
„ *que solus* de hac quæstione cognoscere potest. „

Ad quæstiones autem *meri facti* quod spectat, animadverten- C
dum est, Regium ipsum Consilium Neapolitanum *in decis. 219. apud Matthæum de Afflictis* respondisse, unicum esse casum, in quo Judex Laicus possit de quæstionibus politicis, & mere temporalibus, quæ connexionem habeant cum Matrimonio judicium ferre, cum quæritur nempe : *An sit Matrimonium contractum*.
„ Etenim si dubitaretur, (ut pergit decisio), an ibi sit *aliquod im-*
„ *pedimentum*, vel an sit *validum Matrimonium*, vel aliter dubi-
„ tetur in *jure*, an sit Matrimonium, tunc nec *incidenter*, nec
„ *principaliter* Judex Laicus potest cognoscere. Nec dissimili ratione loquuntur alii Neapolitani Scriptores, quos inter peculiarem locum obtinet Episcopus *Gagliardi* interpres Canonum in Regia Neapolis Universitate (*Instit. Jur. Canon. Tom. 3. Lib. 3. tit. 7. num. 1.*)

Jam vero in Causa, de qua agitur, nunquam in disceptationem venit *Materialis*, ut ita dicamus, existentia, vel inexistentia Matrimonii. Nulla enim ex parte orta est unquam facti dubitatio, cum plane constiterit, Collitigantes juxta *Ritum Ecclesiæ* Matrimonii contractum inisse die 16. Octobris 1774.: Tota itaque controversia agitata primum in Curia Archiepiscopali, & deinde coram te, in hoc unicè versata est „ An in eo Matrimonio fuerit
„ aliquod impedimentum, vel an idem Matrimonium fuerit vali-
„ dum „ cum quæstio omnis spectaverit viri *potentiam* aut *impotentiam*, ad hoc ut sive de *validitate*, sive de *invaliditate* Matrimonii constaret. Et re quidem vera non alio modo incæpta est, & absoluta Causa hujusmodi coram Curia Archiepiscopali, quam tanquam *Causa nullitatis Matrimonii*: nihil aliud commissum Tibi ab Rege fuit, quam ut super Causa *Nullitatis Matrimonii* pronunciares: non aliud denique Tua Sententia definivit, ac declaravit, nisi „ fuisse, & esse *nullum Matrimonium* „ itaut ubi Rex tuam Sententiam probavit, non aliud probaverit, nisi Sententiam editam in Causa = *della nullità del Matrimonio* = quæ juxta

omnes Leges, & juxta responsum ipsius Regii Neapolitani Consilii ad *solam* spectat Auctoritatem Ecclesiæ.

Hinc admirari satis non possumus, quod eadem *meri facti* cavillatione detorqueatur Concordatum Anni 1741. ac si sub illis verbis „ Spetteranno alli *soli* Giudici Ecclesiastici *privativamente* „ le Cause Ecclesiastiche sopra la *validità*, o *invalidità* sì del Ma„ trimonio, come de' Sponsali „ causa hæc minime comprehendatur eo quod quæratur de *existentia*, seu de *mero facto*, scilicet de potentia, vel impotentia Ducis Magdaloni; vidimus enim modo, judicium *meri facti* Laicis permissum, coerceri ad unicum casum, in quoquæstio sit *An Matrimonium fuerit contractum*. Atque illud etiam vidimus, in hoc judicio *nunquam* in disceptationemvenisse materialem existentiam, aut inexistentiam Matrimonii, sed unam tautummodo ipsius *validitatem*. Quæ quidem etsi talis sit, ut dependeat *a facto* potentiæ, aut impotentiæ alterius Conjugis, ex hoc tamen facto *unum* proficiscitur, ac profluit ex *Canonicis impedimentis dirimentibus*, quod influit in *invaliditatem* ipsam Matrimonii; itaut si *Litteram* ipsam Concordati spectemus, nequeat hæc controversia cognosci, ac definiri ab alio, quam a *solis* Judicibus Ecclesiasticis.

Hæc autem doctrina, quæ consentanea est juri communi, & dogmaticæ Tridentinæ Sanctioni, ipsis etiam Laicis Tribunalibus Regni Neapolitani probata est, quæ scimus tam *ante*, quam *post* Concordatum sese ab hujusmodi Causis dijudicandis abstinuisse, easque ad *Judices Ecclesiasticos* remisisse; tametsi ibidem non ageretur de *fœdere Matrimonii* inter ipsosmet Conjuges, veluti in hac Causa agebatur, sed de validitate res esset Matrimonii *ad effectum successionis & legitimitatis* prolis, quæ ad dictam Successionem inhiabat, ut aliis missis Exemplis videre est in decisione, cui titulus *Cajetana Matrimonii* edita *die* 12. *Junii* 1690. *coram Caprara*. Orta enim tunc quæstione super validitate Matrimonii Marchionis Camilli de Petio, & Theresiæ Parascandolæ ad hoc, ut constaret de legitimitate Lucæ Antonii ex illo Matrimonio suscepti, *Regium Consilium* coram quo cæptum est judicium *de successione intestatæ hæreditatis* Marchionis, remisit *ad Tribunal Ecclesiasticum Causam nullitatis, seu inexistentis Matrimonii, juxta antiquam consuetudinem Regni*, cujus est testis locupletissimus Regens a Ponte (*de potest. Proreg. in Rubr. tit.6. num.50.*) quæque *Nostris* etiam viget *temporibus*, ut indubiam fidem facit Episcopus Gagliardi Regius Canonista *loc. citat.* Porro

Digitized by Google

D

Porro Auctoritas Ecclesiæ in hisce Causis est talis, ac tanta, ut non aliter possit super iis ferri sententia, quam eo ipso servato *judiciorum Ordine*, qui ab *Ecclesia* fuit præfinitus, habita nimirum ratione *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, *divina*, non humana *Ordinatione institutæ*, & juxta *eas Leges*, quæ præscriptæ sunt ab eadem *Ecclesia*; itaut quoties Principes Sæculi Leges condiderunt, quæ has Causas spectarent, hoc ipsum præstiterint, uti meri *exequutores*, & defensores Legum Ecclesiasticarum, *Sacras per omnia sequentes Regulas*, declarando nolle se suis sanctionibus complecti, ac comprehendere id quod respicit „ *Rationem Sacramenti*, „ seu *substantiam Contractus*, qui materia Sacramenti proxima „ est, seu effectus Ecclesiasticos „ *ut Henrici II.* Galliarum Regis nomine respondisse *Clero Gallicano* Commissarios ab ejus Majestate deputatos refert Natalis ab Alexandro (*Theolog. dogmat. moral. Tract. de Sacram. Matrim. Lib.2. cap.2. art.3. propos.1.*)

Jam vero hisce explicatis, si Tu, Ven. Frater, in Causa *Nullitatis* Matrimonii delegatus in Judicem appellationis a *Laica* potestate, non modo delegationi hujusmodi non obstitisti, quemadmodum Laici ipsi Magistratus sæpe alias præstiterunt, sed eam ultro libenterque suscepisti; si rursus uti *Regius Delegatus* Sententiam tulisti, si denique eo etiam es progressus, ut declarares, Leges Ecclesiæ, & Pontificum Romanorum vim habituras fuisse nullam, nisi „ postquam is Codex (Gregorianus scilicet) in Universas „ Catholici Orbis Provincias pervagatus fuerit, Civilis Auctoritas „ adjuncta est, tacita tantum consensione *summarum potestatum*, „ *quarum erat Leges de Nuptiis dicere* „ jam manifeste patet vulnus abs Te Auctoritati Ecclesiasticæ inflictum; & nullitas Actorum adeò clara est, ut incurrat in oculos. Indubitati namque juris est, *delegatum Judicem* habere Auctoritatem non posse *Delegantis* auctoritate majorem: quemadmodum vero inanis, atque irrita fuisset Sententia, quam Laicus Judex delegans pronunciasset, utpotè qui omni caret spirituali Jurisdictione, ita *æque irrita*, *&* *inanis* sit oportet Sententia quoque Judicis delegati; cum nemo transferre in alium possit majorem, quam ipse habeat potestatem.

E

Neque hæc minus vera sunt quoad Te, eo quod *Ecclesiastica dignitate* præfulgeas; ea enim auget potius, non minuit culpam, & efficere nullo modo potest, ut actus per Te gesti non sint inanes, atque irriti; in Judiciis enim non dignitas spectatur Judicis delegati, sed *fons*, *&* *origo*, a qua manat jurisdictio, itaut cum ipse

 ad

ad judicandum accesseris tanquam delegatus a Rege, perinde res sit, ac si tua Sententia non a Te, sed a Sæculari potestate profluerit.

Quinimo ex tua ista Ecclesiastica Dignitate, si recte res perpendatur *novum Caput* eruitur *nullitatis*, novumque proficiscitur *injuriæ* genus, quam intulisti non jurisdictioni modo *Neapolitani Archiepiscopi* Judicis primæ Instantiæ, sed juribus etiam *S. Sedis*. Causæ enim Matrimoniales spectant quidem ad Judices Ecclesiasticos, sed ad Judices Ecclesiasticos *competentes* juxta institutum Sacrorum Canonum, proprio Ecclesiasticæ Hjerarchiæ Ordini accomodatum. Porro si tu *gradu major* extitisses Archiepiscopo Neapolitano, itaut illius Sedes juxta Ecclesiasticam Constitutionem tuæ Sedi subesset, tunc Regia, de qua loquimur, delegatio, directa in Ecclesiasticum Virum, Judicem per se idoneum, *& competentem*, in eam partem explicari, atque accipi facile potuisset, ut Ordini ab Ecclesia præstituto obsequeretur, & Tu non tanquam Delegatus, sed tanquam legitimus Judex ulterioris Instantiæ Sententiam ferre potuisses.

Sed Tu Episcopus Ecclesiæ Motulensis cum sis, cumque *gradu*, & dignitate Tibi antecellat Neapolitanus Archiepiscopus, qui neminem Superiorem agnoscit, uno excepto Romano Pontifice, jam vides, liberari a labe *injuriosæ* nullitatis non posse, nec Regis delegationem, nec Sententiam a Te latam: auditum enim est nunquam, appellationem, quæ semper ad *Judicem Superiorem* devolvitur, ad inferiorem deferri, & Causam appellationis ab Judice inferiore cognosci sine delegatione ejus Superioris Judicis, cui delata est appellatio. Quod si opera Sæcularium Principum id monstri genus accidit aliquando, jura sua, & Archiepiscoporum vindicare non destitit S. Sedes, veluti allatis exemplis docet *Petrus de Marca* luculentissimè (*de Concord. Sacerd. & Imper. Lib.*1. *Cap*,11. *num*.3., *& Lib*.7. *Cap*. 19. *num*.5.)

Nec refert quod Tu in hac Causa definienda eum servaveris Ordinem, qui sive a Cælestino III. *in Cap. Laudabilem* 5. sive ab Honorio III. *in Cap. Litteræ Vestræ* 7. *de frigid. & malefic.* sive demum a Benedicto XIV. præscribitur in Sua Constitutione, quæ incipit *Dei miseratione*; cum enim Tibi defuerit *Jurisdictio*, quæ omnium judiciorum basis est, ac fundamentum, illud jam sequitur, irritam, inanemque fuisse Sententiam, quamvis ea lata fuerit, audito Defensore Matrimonii, & aliis servatis, quæ extrinse-

cam

cam Judicii formam respiciunt. Ad Matrimonii autem Defensorem quod attinet, miramur sane illum, coram Judice *illegitimo* stitisse, se suasque defensiones parasse, cum ignorare illum minime deceat, quæ ipsius partes esse debeant in tam gravi munere obeundo. Hæc porro sunt quæ Benedictus XIV. de ipso habet in ea, quam Tu appellas, Constitutione „ Ad Officium Defensoris Ma-„ trimoniorum spectabit in judicium venire, quoties contigerit „ Matrimoniales, Causas super validitate vel nullitate *coram le-„ gitimo Judice* disceptari „ ut nempe intelligeret, ubi Judex *illegitimus* foret, aditum sibi ad judicium patere nullum.

His quæ hactenus diximus, de turbato judiciorum Ordine, deque injuria illata Jurisdictioni Ecclesiasticæ maximum illud accedit discrimen, cui Conjuges objecisti; hi enim tua decepti Sententia sibi persuadere possent disruptum, ac dissolutum esse Sacrum Matrimonii vinculum, quod durat adhuc, & tamdiu durabit, quamdiu ad ejus nexum dissolvendum Auctoritas legitima non accesserit. Quanta, & quam multa incomoda, & detrimenta forent inde obventura, si quis ex Conjugibus incaute tuam Sententiam secutus ad secunda Vota transiret. Nonne novum hoc Matrimonium, illicita esset conjunctio, fœdaque continui Adulterii occasio, ad quam dirimendam opus esset, ut Ecclesiæ præcepto novi Conjuges sese ab omni contubernio separarent, donec per secundam legitimam Sententiam de primi Matrimonii nullitate non constitisset? Nonne Conjux binubus obnoxius esset omnibus pœnis *contra polygamos* inflictis a Sacris Canonibus, & a Constitutionibus Apostolicis, & a' Benedicto XIV. in præfata Constitutione innovatis? Nonne proles, quæ ex hisce susciperetur Nuptiis *illegitima* esset, quemadmodum in Generali Concilio Lateranensi IV. definitum est? Nonne hæc, aliaque damna gravissima per te unum in Conjugum familias, in Ecclesiam, in Rempublicam redundarent?

Nos certe his malis, quantum in Domino possumus, occurrimus. Datis enim in forma Brevis Litteris (*) ad Dil. in Christo Filiam Nobilem Mulierem Mariam Josepham de Cardenas, eam monuimus, quid facto opus sit in re tam gravis momenti, speramusque Dei O. M. benignitate futurum, ut Nostræ curæ hortationesque in irritum non sint cessuræ. Non inde tamen tuus excusatur error; per te enim non stetit, quominus omnia hæc mala evenirent. Illud

(*) Il Breve di Sua Santità alla Duchessa di Maddaloni si vegga alla pag. 13.

Illud quoque accedit incommodi, quod facto isto tuo errorem comprobasti Laicæ potestatis; quæ quidem res timenda a nemine minus, quam abs te fuerat. Te enim, qui honore gaudes esse *a Consiliis Regiis*, uti in fronte legitur tuæ Sententiæ, cum nuntius tibi allatus est Regiæ delegationis, qnammaxime decebat, ut responderes „ *publicorum* Tibi munium jus concessum est *non Sa-* „ *crorum* „ quemadmodum S. Ambrosius ad Valentinianum respondit; id enim a Te, & notissima Religio Regis, & suorum Ministrorum integritas postulabat. Verum ipse non solum delegationi ultro, libenterque assensum præbuisti tuum, non solum illam probasti, ac cumulasti laudibus, sed tamquam Regius delegatus ausus es solvere Sacramenti vinculum, & id gloriæ duxisti tuæ, ut in Causis nullitatis Matrimonii tribueres Laicis potestatibus auctoritatem *Leges dicendi de Nuptiis*, auctoritatem, inquam, quam Sæculi ipsæ Potestates sibi arrogarunt nunquam; hoc enim jus, qua late patet Orbis Catholicus, in *sola* Ecclesia residet universum. Quæ cum ita sint, qui rationem facti & consilii tui defendat, arbitramur esse neminem: Si enim culpa est non in eo dumtaxat, qui commisit, sed & in eo, qui potuit, & debuit prohibere, aut saltem arguere; nam etiam qui silet, favet, inquit Cælestinus ad Episcopos Galliæ, quid laudasse, quid etiam operam dedisse?

Quæ quidem si quemlibet Virum Catholicum dedecuissent, quid dicendum erit de Episcopo, quem pastoralis dignitas participem facit depositi Fidei, atque doctrinæ, quemque vis, ac Religio præstiti Juramenti cogit, impellitque ad sarta tecta tuenda jura omnia Ecclesiæ, & Sanctæ Sedis, maxime super Sacramentis? Profecto, si sola Oratio Consulis perniciosa potest labefactare Rempublicam, quid Ecclesiam perniciosa vox, & Oratio Episcopi?

Eo vel magis, quia Tu Regiæ Aulæ addictus cum sis, ignorare profecto non poteras officia, semel iterumque a Nobis adhibita, ut similis delegatio revocaretur, quam Rex in hac ipsa Causa fecerat VIII. Kal. Januarias anni 1784. in Archiepiscopum Tarsensem, Capellanum Majorem.

Ignorare non poteras, obtulisse Nos Regi delegationem, quæ caderet in alium Præsulem Regni, qui Regi esset acceptus. Ignorare item non poteras, Officia hæc Nostra tanti æstimata a Rege fuisse, ut pro sua Religione jubendum duxerit pridie Idus Septembris anni 1786. hujusmodi ut Causæ cursus interciperetur. Sed tu nostrum omne officiorum, & curarum genus evertisti funditus, se-

mel

mel ac novam delegationem acceptasti, teque iis Socium addidisti, qui veræ pacis inimici, ac dissensionis spiritu afflati eamdem delegationem ab Rege Religiosissimo extorquendam curarunt.

Sed jam tempus est, ut *pœnas* Tibi indigitemus, quæ in his casibus a Sacris Canonibus infliguntur. Audisti jam Canonem Tridentini Concilii, quo illi omnes *anathemati* subjiciuntur, qui Causas Matrimoniales negant pertinere ad Ecclesiam, & ad Ecclesiasticos Judices; quo quidem Canone certum est, non eos modo comprehendi, qui docent, esse *summarum potestatum* hujus Sæculi Leges *de Nuptiis dicere*, sed eos quoque, qui factis hoc ipsum confirmant, quique auctoritatem judicandi nanciscuntur a Laica potestate, & qui Causas nullitatis Matrimonii tanquam Regii delegati definiunt. Concilio autem Tridentino præivit Honorius III. *in Cap. Noverit* 49. *de sent. excom.* ibi enim huic eidem pœnæ eos damnat, qui amplexi fuerint Statuta edita a *Laica potestate* contra jura, & libertatem Ecclesiæ, & qui *secundum ea præsumpserint judicare*.

Bonifacius item VIII. *in Cap. Clericis de immun. Eccles. in 6.* „ multis deplorat præsentium experimenta temporum, dum (Laici) suis finibus non contenti nituntur in vetitum; ad illicita „ fræna relaxant . . . moliuntur multifariè *subjicere servituti*, „ *suæque* submittere *ditioni* Ecclesiam, Ecclesiasticasque personas, & bona & (*quod dolenter referimus*) nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque personæ trepidantes, ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes „ Majestatem temporalem offendere, quam æternam, talium abusibus non tam temerariè, quam improvidè acquiescunt, Sedis „ Apostolicæ Auctoritate, seu licentia non obtenta „ Cum autem in hunc modum miseram suorum temporum conditionem deplorasset Pontifex iste, Prælatis & Personis Ecclesiasticis supradictis sub *depositionis* pœna districte mandavit „ ut talibus absque expressa li„ centia dictæ Sedis nullatenus acquiescant „ & quatenus acquieverint, & præcepta receperint, in *excommunicationis* sententiam incidant *ipso facto*: quæ si sibi vindicant locum, ubi Episcopi consentiunt, subjici Laicæ potestati jura & bona Ecclesiæ, multo magis habere locum debent, ubi aliquis inveniatur, qui laudet, probetque, ut *Laicorum Ditioni* subjiciantur *Sacramenta*.

Quid de antiquis illis Canonibus dicendum Synodorum Romanæ, Antiochenæ, & Carthaginensis, qui noti sunt omnibus, & ab

ab ipsis Jureconsultis Neapolitanis tam sæpe commemorantur? In his porro coercetur Episcoporum Auctoritas *intra fines* propriarum Diœcesum, & super grege eis subjecto, nec cuidam permittitur Episcopo, ut jus sibi arroget cognoscendi causas ab alio definitas, modo unus Episcopus altero Superior non sit sub pæna *Excommunicationis*, & etiam *depositionis*; quæ quidem Canonum sanctiones etiam a Concilio Tridentino postmodum confirmatæ, dubitare non potes, quin in te cadant, qui *inferior* cum esses Antistite Neapolitano Judice primæ Instantiæ, cumque in Conjuges *alienæ Diœcesi* subjectós jurisdictionem haberes omnino nullam, eos tamen ausus es a Sacramenti nexu solvere, ac liberare.

Longum sanè esset hoc loco ab historia Ecclesiastica petere eorum Exempla, qui Canonicas hasce Sanctiones cum violassent, pœnas ab illis sancitas subijerunt. Ut antiquiora omittamus monumenta satis erit, ut Tibi commemoremus Clementem XI. Prædecessorem Nostrum, *anathematis* pænæ subjecisse *tres Judices*, eo quod tamquam *delegati* a *Laica Potestate Siciliæ*, ac *Taurinensi* non dubitarunt sese Ecclesiastico Judicio immiscere, unde acta illa evertit, atque rescidit cum omnibus inde sequntis tanquam inania, & nulla, & *a non habentibus potestatem*, attentata, ut ipsius Chirographa, & Constitutiones demonstant, quæ prostant in Bullario Romano (*edit. Mainardi Tom.* 10. *part.* 1. *pag.* 320., *& edit. Luxemburgi Tom.*8. *pag.*310. 313., *&* 378.)

H Si igitur hæ sunt pœnæ a Canonibus præscriptæ, & usu in Ecclesia receptæ reliquum modo est, ut *Remedia* Tibi indicemus, quæ benigna Mater Ecclesia suppeditat erranti, & errati sui veniam petenti. Duo porro hujusmodi remedia sunt, quorum *alterum* respicit Animæ salutem, *alterum* debitam Ecclesiæ satisfactionem. Ad Animæ salutem quod attinet, opus est, ut absolutionem petas ab hac Apostolica Sede, quemadmodum illam petiit ab Alexandro III. S.Thomas Cantuariensis, eo quod quibusdam consuetudinibus a Rege Henrico inductis, & Ecclesiasticæ Auctoritati contrariis sese subscripserat; Et illam petierunt non modo alii Fratres tui, inter quos Episcopus Calagurritanus ab Urbano VIII., & Episcopus Ilcinen. ab Alexandro VII. (*Bullar. cit. Mainardi Tom.*6. *part.*2. *pag.*109., *& par.* 4. *pag.*94.) sed ipsa etiam *Laica Tribunalia*, ac Magistratus Regni Neapolitani, quos inter præ ceteris commemorandus est Franciscus Paschalis, Magister Campi, & Præses Regiæ Audientiæ Montis Fusculi, qui a Pontifice Ale-

Alexandro VII. petiit, impetravitque absolutionem a Reatu „ violatæ Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, tam nomine „ proprio, quam Proregentis Curiæ Vicariæ Neapolitanæ, & „ Comissarii Campaniæ, aliorumque omnium Officialium (*Bullar. idem Mainardi cit. Tom.6. part.5. pag.335.*

Ad Ecclesiæ autem satisfactionem quod pertinet, ut omnis scandali tollatur occasio, utque Conjuges ab errore retrahantur, illud necesse est, ut *publicæ*, ac palam, *sive* Edicto, *sive* alio modo declares irritam, inanemque sententiam tuam, quemadmodum Clemens XI. faciendum jussit Carolo Mariæ Episcopo Vintimiliensi. Is enim fretus mandato *Victorii Amadei* Ducis Sabaudiæ, & *Senatus Niciensis*, cum Vicarium Generalem deputasset cum facultate judicandi absque appellatione de Causis Ecclesiasticis in Oppido Saorgio, aliisque Locis suæ Diæcesis, subjectis in temporalibus eidem Duci, in causa fuit, ut Pontifex abrogaret, atque aboleret deputationem prædictam: *nec non rescripta, mandata, seu Decreta a Laica potestate edita, quæ Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositioni adversantur, & libertatem, jurisdictionem, & Immunitatem Ecclesiasticam manifeste lædunt*, & Episcopum ipsum cogeret = *sub pæna* suspensionis *ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ut per* publicum Edictum *eamdem irritam, & invalidam Vicarii deputationem, concessamque illi, ut præfertur, facultatem statim, & incunctanter omnino revocet* = (*cit. Bullar. Mainardi Tom.* 10. *part.* 1. *pag.* 249.)

Possemus hic equidem Nostris Litteris finem imponere, cum satis superque sint a Nobis exposita ea, quæ in tuam agendi rationem in Causa Matrimonii duximus convenire. Sed silentio præterire non possumus inductam abs te *novitatem*, dum solitam inscriptionem omittis, qua passim tui Fratres utuntur, sese *Apostolicæ Sedis gratia* Episcopos appellantes; quæ quidem inscriptio ante ipsas reservationes invecta, & multis ante Sæculis Religiose adhibita, suum habet fundamentum in primatu Apostolicæ Sedis, & in honore, qui Successoribus B. Petri debitus est. Sed tu, solita formula prætermissa, mavis *Regis gratia Episcopus* nuncupari, teque hoc inscribere nomine gloriaris novo, ac prorsus insueto, & minime ad dignitatem Episcopalem accommodato, utpote quæ quoad *Ordinem* immediate est a Deo, & quoad *jurisdictionem* ab Apostolica Sede, exclusis Laicis potestatibus, quibus jus ipsum nominandi,

I

nandi, & præsentandi non competit; nisi accedente privilegio S. Sedis. Nolumus sane Nos vim, ac indolem persequi hujusce novitatis, quæ per se ipsa loquitur, quæque suspicione non caret, digna profectò, ut ab omnibus reprobetur. Hinc Te etiam, atque etiam in Domino hortamur, ut hac etiam in parte omnem abs te occasionem admirationis, ac suspicionis expellas, quemadmodum te facturum speramus: & hac spe freti Apostolicam Benedictionem Tibi, & Gregi tuæ curæ concredito impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Septembris 1788. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Num. II.

Digitized by Google

Num. II.

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Mariæ Josephæ de Cardenas ex Comitibus Acerrarum.

PIUS PP. VI.

Dilecta &c. Sententia, quam Episcopus Motulensis protulit, uti *Regius delegatus* super *nullitate tui Matrimonii*, est ex defectu competentis jurisdictionis irrita, inanis, & scandali plena; quemadmodum Nos Nostris Litteris in forma Brevis ad eumdem Episcopum, quamprimum dandis, copiosè demonstrabimus. Hinc ut ipsa ex omni errore, ac deceptione retraharis, utque ex falsa bonæ fidei opinione decedas, operæ pretium esse duximus, te de hujus Sententiæ nullitate admonere, quæ cum perinde habenda sit, *ac si lata non fuisset*, prohiberis ad alia vota transire, donec Sententia Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ a Sententia non confirmetur alterius *Judicis Superioris*, qui alius nec est, nec potest esse in hac Causa, quam Romanus Pontifex, aut Judex ab eo delegatus; Secus enim irritum foret novum Matrimonium, Adulterium contubernium, illegitima proles, tuque in pœnas incideres contra polygamos a Sacris Canonibus inflictas, & a Benedicto XIV. Nostro Prædecessore instauratas in notissima Constitutione, quæ incipit *Dei miseratione*, quæque, qua late patet Catholicus Orbis, sanctè, & religiosè servatur. Illud etiam te monitam volumus, quod si ullam fortasse partem habuisti in instauratione, & progressu hujus judicii coram Episcopo Motulensi, sique ullam partem in ejusdem irritæ Sententiæ executione esses habitura, jam in pœnas Canonicas incidisses, aut in easdem incurreres; illæ enim non ad Judices modo pertinent, qui laica freti Auctoritate judicium ferre audent in causis merè spiritualibus, sed eos etiam comprehendunt, atque constringunt, qui assensum, favorem, auxilium præbent, quique quocumque tandem modo participes fiunt: Teste enim Paulo Apostolo ad Romanos (Ep. I.

A

B

Cap. 1. vers. 32.) *non solum qui faciunt, sed qui CONSENTIUNT facientibus, digni sunt morte.* Speramus equidem fore, ut ipsa filiali amore, & obsequio Nostris respondeas paternis curis, Nostræque, qua te prosequimur, dilectioni, in cujus interim testimonium, ac pignus Apostolicam Tibi Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die 12. Septembris 1788. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Num. III.

Digitized by Google

Num. III.

Al Cardinale Arcivescovo di Napoli

PIUS PP. VI.

Dilecte Filj Noster Salutem &c.

UNA voce quì divulgatasi in seguito di alcune Lettere pervenute di costà, ch' Ella abbia riconosciuta, e fatta registrare negli Atti della sua Curia Arcivescovile, come cosa giudicata, la Sentenza pronunziata dal Vescovo di Motula, come Delegato da Sua Maestà nella *Causa Matrimoniale* di Donna Maria Giuseppa de Cardenas dei Conti dell' Acerra, e che in seguito siasi dal suo Vicario Generale spedita alla medesima la Testimoniale dello Stato Libero; non ci dispensa di significarle questa notizia, per quanto ci sembri lontana affatto dal vero, non meno per l' intrinseco della cosa, quanto per le sue stesse dichiarazioni, fatte in detta Causa, ed in altra consimile dell' Alfiere Don Lorenzo Blanco, che il suo Agente Bruni communicò per di Lei commissione li 28. Gennaro, e 12. Luglio 1785. à Monsignor Nostro Uditore, acciò le avesse à Noi partecipate, riferendo in esse la Sanzione del Tridentino, ed il Concordato fatto da Benedetto XIV. in prova dell' Apostolica Sua costanza, come un' Anno prima, cioè in Marzo 1784. si era con altra ragionata, e dotta rappresentanza sottratto dal Dispensare nell' impedimento di pubblica onestà Alessio Carpentiero, à potersi unire in Matrimonio con Teresa Fratino. Queste di Lei sensate, e coraggiose proteste metterebbero in contradizione il suo Zelo, avvilirebbero la Sua Dignità, e conculcherebbero l' importanza de' Giuramenti da Lei più volte prestati, se si avverasse la voce sparsa. Noi che dobbiamo confortarla a combattere vigorosamente per i Sacri Dritti della Chiesa, non abbiam' voluto esser muto, prendendo questa occasione, per vieppiù incoraggirla à tenersi forte nelle massime, che con edificazione di tutti i Buoni, ha già adottate; Venga poi qualsisia disgustosa conseguenza. Ancor Noi, che *sustentamur pane tribulationis, & aqua angustiæ,*

Digitized by Google

gustiæ, non ci abbandoneremo nella tempesta di tanti intollerabili eccessi, nè mai aggraveremo la Nostra coscienza, ripetendo col Rè Profeta *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Non vogliamo poi occultarle, che quanto alla detestabile intrusione del Vescovo di Motula, non lasciaremo di manifestargli i Nostri sentimenti, col fare al medesimo comprendere la gravità delle pene, delle quali si è reso reo, com' anche di far sapere alla Contessa Maria Giuseppa, di non potere senza vizio di Adulterio passare ad altre Nozze, e che in passandovi, ed avendo Figli, sarebbero illegittimi, e questa avvertenza converrebbe, gli si facesse subito anche da Lei. Che è quanto abbiam stimato paternamente significarle, mentre restiamo dando à Lei, e à tutto il suo Gregge la Paterna Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 10. Septembris 1788. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Num. IV.

Digitized by Google

Num. IV.

Al Cardinale Arcivescovo di Napoli

PIUS PP. VI.

Dilecte Filj Nofter Salutem &c.

QUello, che fi era divulgato, e che Noi avevamo ragione di non credere, pur troppo con indicibile Noftro cordoglio, e scandalo universale, lo vediamo verificato, mercè la copia della Dichiarazione da Lei fatta ad iftanza della Conteffa Maria Giuseppa dell'Acerra, avendo Lei ammeffo per legittima la Sentenza pronunziata in grado di Appellazione dal Giudice Delegato da S. M., ed i Reali succeffivi Ordini in esecuzione de' quali ha fatto notare nel Libro de' Matrimoni della Parrochia, ov' era regiftrato quello dell'anzidetta Conteffa, le Sentenze, e Regie approvazioni, emanate per la Nullità del di Lei Matrimonio, con averla contemporaneamente dichiarata = *Liberam*, *&* *solutam à vinculo dicti Matrimonii*, *atque poffe*, *prout libuerit*, *ad alia Vota tranfire* =, come leggefi nella Teftimoniale della Sua Curia, datata sotto i 6. del corrente Settembre (*). Nè può à Lei recar scampo ragionevole la Clausula aggiunta = *Dummodo non obflet aliud Canonicum impedimentum* =, poichè quefta Clausula sarebbe d'obice alla Conteffa, se voleffe congiungerfi con un Parente in grado vietato, mà non gli farebbe oftacolo, a farlo con chiunque altro non le foffe attinente. Ma la forza ftà nello scioglimento del Vincolo Conjugale, ch'è il solo punto compreso nella seconda invalida sentenza, a cui sono relativi gli Ordini Regj, e non in una circoftanza, che sempre fi subintende, e che dipende dalla Contessa l'evitarla: Onde non può la di Lei erronea approvazione rattopparfi coll' aggiunta di una condizione eftranea dal punto, che fi è trattato, ed arbitraria alla Parte intereffata, e quindi mai sarà quefta, quale fi è da Lei in detta Teftimoniale dichiarata. Per verità, che contradizione più manifesta di quella, che ha moftrata in se medefimo (**), deviando dalle Maffime fatte a Noi comunicare, non

A

B

C

(*) Di detta Teftimoniale fi vegga la Copia alla pag. 24.

(**) E' tanto più dolorosa la condotta tenuta ora dal Cardinal' Arcivescovo

D non può rinvenirsi; ed avendo già con Nostro Breve Epistolare avvertita la Contessa, di non esser altrimenti libera à contrarre altro Matrimonio, senza rendersi Adultera, e soggetta alle Pene imposte ai veri Poligami, ora abbiamo creduto farlo col Vescovo di Motula, con altro Nostro proporzionato Breve, di cui abbiam stimato necessario rimetterne a Lei Copia, acciò possa ravvisare più da vicino i fondamenti dell' intrusione di detto Vescovo, e la illegittimità della di Lui sentenza, e poi inferire, che in quelle obbrobriose conseguenze, che si è Egli tirato sopra di se, vi è del pari incorso ancor Lei, come saremo obbligato (Dio sà con qual ribrezzo) a dichiarare contro una Nostra Creatura. Se altra volta E aveva Ella nella stessa Causa, e in altra simile resistito, non v'era ragione di desistere adesso, forse a conto di timore, per esser le massime sempre le medesime, e se non vi fù allora alcun disastro, dovea prudentemente pensarsi, che non vi sarebbe corso neppure adesso; Mà di questo possibile inconveniente l'avevamo Noi prevenuta nella precedente Nostra Lettera dei 10. corrente. Non rimonteremo agli esempj degli Ambrogi, e di tant' altri Vescovi esimj de' Secoli remoti, mà gli richiameremo quelli del tempo, cioè del Defonto Arcivescovo di Parigi, che con lodevole intrepidezza, e pari sua gloria soffrì replicatamente l' esilio (senza perdere per questo l'amore, e la stima del Suo Sovrano), onde dal medesimo poteva Ella apprendere a non mettere la Chiesa in schiavitù, per sottrarsi da ingrate vicende. Noi siam fatti per combattere, e non per adulare, ed il Nostro Ministero ci astringe a non abbandonare a qualsisia patto la buona Causa, per non autorizzare l'Errore. Ecco quanto nell' imprevista, ed incredibile mossa da F Lei data, abbiamo dovuto aggiungerle, acciò possa ripararvi, come abbiamo insinuato al Vescovo di Motula prima, che siamo Noi necessitato a prendervi altra parte, e pregando vivamente il Signore a darle i lumi, e forza, per sollecitamente risolversi, restiamo con dare a Lei, e a tutto il suo Gregge la Paterna Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16. Septembris 1788. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Sen-

vo, quanto meno può Egli scusarsi di non averne conosciute le conseguenze; Giacchè sono note le rimostranze umiliate da Esso al Sovrano a scarico della propria Coscienza, e a difesa dei Diritti della Chiesa, sul proposito delle Dispense negl' Impedimenti di Publica Onestà, nella medesima Causa di Maddaloni, ed in altra consimil Causa Matrimoniale dell' Alfiere D. Lorenzo Blanco, intorno alla quale si dà la rappresentanza dello stesso Cardinale Arcivescovo alla pag. 26.

Sentenza del Vescovo di Motula

ILDEPHONSUS ORTIZ CORTES NEAPOLITANUS

ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS DIVINÆ PIETATIS DIGNATIONE, ET REGIS GRATIA EPISCOPUS MOTULEN

FERDINANDO IV. PIO, FELICI, AUGUSTO

A CONSILIIS

Et ad caussam Regiis Litteris ex die decima Maii Delegatus.

In causa nullitatis matrimonii, quæ agitur inter D. Dominicum Martium Carafa Illustrem Ducem Magdaloni, ac Defensorem validitatis matrimonii ex parte una, & Ill. D. Mariam Josepham de Cardenas ex parte altera.

Die 7. mensis Julii 1788.

Visa sententia per Archiepiscopalem Neapolitanam Curiam sub die 4. Decembris 1784. lata, auditis Defensore validitatis matrimonii, atque Advocatis, lectis allegationibus, perpensisque diligenter omnibus actis, tam in Archiepiscopali Curia, quam in judicio appellationis confectis.

DEI NOMINE INVOCATO.

Audito voto Dominorum D. Dominici Potenza Præsidentis Regiæ Cameræ, Patroni Fisci, ac Consultoris Curiæ Cappellani Majoris, D. Basilii Palmieri Regii Consiliarii, ac D. Francisci Consortii Regii Theologi, ad eamdem causam Regiis litteris ex die 10. Maii 1788. cum voto consultivo delegatorum &c.

Bene judicatum per Archiepiscopalem Curiam die 4. Decembris 1784., ac male appellatum pro parte Illustris Ducis Magdaloni, & Defensoris validitatis Matrimonii in vim Constitutionis Fel. Rec. Benedicti XIV. incipientis Dei Miseratione. *Proinde constare de antecedenti, absoluta, & perpetua impotentia coeundi Dominici Martii Carafa Illustris Ducis Magdaloni, ac nullum fuisse, & esse Matrimonium inter eumdem Illust. Ducem & Ill. Mariam Josepham de Cardenas ex Comitibus Acerrarum contractum die 16. Octobris 1774. propter impotentiam antecedentem, absolutam, & perpetuam ejusdem Illust. Ducis; & per consequens exequendam esse sententiam per Archiepiscopalem Curiam Neapolitanam latam sub eadem die quarta Decembris 1784. Hoc suum.*

Pronuntiaverat Metropolitana Neapolitana Curia, Dominicum Martium Carafa Magdaloni Ducem in ea esse perpetuæ imbecillitatis causa, ut progignendis liberis operam dare non posset; ac proinde irritas fuisse nuptias, quas sibi cum Maria Josepha de Cardenas Comitis Acerrarum filia an-

 no

no 1774. die 16. Octobris conciliaverat. Quum ab ea sententia provocatum esset, omnia, quæ cum in jure, cum in facto versabantur, iterum pensitanda fuerunt. Atque disputari non oportuit, num inter eum, eamque, qui, quæve propter naturale vitium imbecillis sit, sociari connubium possit. Societas enim viri, & mulieris eo pertinet, ut ad supplendum humanum genus proles subolescat. Neque illos Deus conjungit, qui in unam coire carnem nequeunt. De ratione solum comprobandæ imbecillitatis quid legibus esset constitutum, par erat intelligi. Hæc ratio ad XII. seculum incerta, vel potius arbitraria fuit. Sed Romani tandem Pontifices, & præsertim Cœlestinus tertius, atque Honorius tertius, alter in Cap. Laudabilem X. de *frigidis*, *maleficiatis*, *& impotentia coeundi*; alter in Cap. Litteræ vestræ *eod.* certum illius tractandi judicii ordinem curaverunt scribendum. Edictum ab iis est, negotium medicis demandandum, si viro naturalis objiciatur debilitas, quæ ex manifestis vitiis oriatur: si medici, investigato corpore, liquere de illa imbecillitate juraverint, nuptias dirimendas. Sin naturalis delitescat valetudo, quæ imbecillem efficit virum, ex usu esse, ut vir, & uxor triennium concumbant; exacto triennio, si uxor se integram affirmet, id probandum primum judicio matronarum, quæ illius corpus examinent, tum sacramento, quod ipsa dicat, & septima manu. Atque si eo argumentorum genere conficiatur, uxorem hactenus manere virginem, pronunciandum, nuptias fuisse irritas. His Romanorum Pontificum edictis in Gregorianum Decretalium Codicem redactis, postquam is codex in universas Catholici Orbis provincias pervagatus fuerit, civilis auctoritas adjuncta est, tacita tantum consensione summarum potestatum, quarum erat leges de nuptiis dicere.

Reliquum fuit, ut dispiceretur, an eorum, quæ in facto versantur, cognitio habita fuerit hoc ipso ordine, quem a Romanis Pontificibus constitutum fori disciplina recepit. Quocirca id omne quod compertum, & quo ordine probatum sit, breviter dicetur. Conjunctæ fuerunt nuptiæ die 16. Octobris 1774. inter Martium Carafa Magdaloni Ducem, & Mariam Josepham de Cardenas Comitis Acerrarum filiam. Percurso octo annorum solido curriculo, mulier in ædibus Ducis simul habitaverat septem annos, dormierat autem cum eo tres annos, & tres menses. In tam longo virium Ducis periculo illa permanserat virgo. Ergo in Metropolitana Neap. Curia libello petiit, ut eo connubio propter naturalem viri debilitatem irrito solveretur. Interrogata ex more a judice respondit „ se matrimonio cum Martio Carafa Magdaloni Duce junctam a primo nuptiarum die simul cum eo dormiisse: noctes omnes primorum quatuor mensium ita fuisse transactas, ut impingendis suaviis, aliisque voluptatis irritamentis indulgeretur, sed procreandæ soboli nulla opera daretur. Rogantibus, an Dux viri partes expleret, dixisse, hactenus eas non explevisse: Ducem ea de causa castigatum in animum induxisse, ut pro viribus uxori coiret: sed opus, ut illud conaretur, vires defuisse. Agitantem sese aliquando nitentemque frustra, geniali lecto intempesta nocte sese proripuisse, ac in aliam ædium partem receptum eam flebiliter vicem doluisse. Hanc genialis

nialis thori fortunam fuisse ab initio matrimonii ad extremum usque diem mensis Septembris anni 1778. Ab eo enim tempore sibi placuisse seorsum a viro lectum habere, quamvis eamdem cum illo domum habitare pergeret. Demum in id consensisse, ut post longam lecti vacationem cum viro noctem dormiret. Illum autem ea nocte querelis cœlum complere, quod eam operam aggredi cogeretur, quam nequiret; sese imbecillitate laborare, idque Sacramento confirmare: tum vero consilium ab ipsa susceptum, ut connubium, quo jungebatur, rescindendum peteret.

Instituto judicio Dux Magdaloni varius, suique dissimilis fuit. Vicario Generali, antequam interrogaretur, sponte confessus est, cum uxore se nunquam coivisse, nec propter naturalem imbecillitatem coire potuisse. Paullo post libellum, quem manu sua exaraverat, Augusto Regi nostro porrexit, in quo & uxorem integram, & imbecillitatem testatus est suam. Interrogatus deinde ex more a judice: uxorem sibi primis a matrimonio mensibus intactam asseruit, cum officiorum, quæ femellis debentur, commonefactus non fuerit; sed postea opus niti cœptasse eo eventu dixit, ut nunquam perficeret, nec perficere posset, quia in medio opere vis omnis deficiebat. Tandem in *positionibus*, quas vocant, hæc sibi sumpsit, primis connubii mensibus nescivisse quid vir cum uxore ageret, eam rem edoctum cum uxore certasse, quæ a procreanda sobole abhorrebat, ipsumque manibus, pedibusque repellebat, demum eo pervenisse, ut eam non semel compressisset, offensamque medicinis recreasset. Hæc quidem tam varia, tam dissimilia, tam contraria locutus est. In ea vero discrepantia quid ille sibi consciverit, facile intelligi potest. Si sponte, consilioque sui ipsius loquebatur, imbecillitatem, cujus conscius erat, omnino confitebatur; si partium studio impellebatur, eamdem imbecillitatem dictis, modo minuebat, modo prorsus negabat.

Hoc loco res erant. Delectæ deinde tres matronæ sive obstetrices, quæ mulieris corpus perscrutarentur, delectique quatuor medici, qui tum ex matronarum dictis de muliebris corporis habitu referrent, tum investigato Ducis corpore de illius viribus judicarent. Hæc vero ratio probata est, ut matronæ & medici nec conferrent veluti in collegio quicquid inspexissent, nec simul de judicio, quod esset ferendum, consultarent. Singulæ matronæ seorsim ad examinandum mulieris corpus ingrediuntur, & seorsum omnia, quæ compererant, medicis coram judice testantur; quorum quisque quid conjicit, separatim ab aliis expromit. Atque a matronis talis muliebris corporis habitus inspicitur, quali virgines renident. Ex quo medicorum quisque censet, cum ea virum nunquam coivisse. Præterea singuli medici ad explorandum Ducis corpus seorsum succedunt, & singuli cognita illius temperatione, seorsum judicant. Itaque deprehensis manifestis vitiis, quæ ad rem connubialem procurandam non offendiculo solum, sed impedimento erant; perpensisque ceteris argumentis, quæ ex universis corporis partibus oriebantur, eorum unusquisque pro certo habuit, pronuntiavitque, Ducem ante nuptiarum tempus ea debilitate fuisse affectum, quæ ad navandam uxori operam imparem reddebat.

 Atque

Atque medici quidem rite lecti , & Sacramenti religione sese adstringentes, coram judice in eam sententiam judicaverunt. Præteriri autem oportuit quatuordecim medicorum dicta, qui antequam judicium a muliere institueretur, Ducis corpus perscrutati fuerant. Illorum enim mens fuit, ut medicinas præscriberent, quibus accisas Ducis vires recrearent, non vero, ut de physica illius temperatione judicium ferrent. Quamquam omnes primum dixerunt, a Duce rem connubialem non fuisse peractam ob corporis sui vitium, & deinde ex iisdem plures, nimirum septem non dubitaverunt adfirmare, vitium, quo Dux laborabat, maximum esse, nec medicorum ope expellendum.

Jam vero Illustris mulier Maria Josepha de Cardenas septimam manum adscivit. Ex ordine enim Patritiorum, qui propinquitate sibi conjuncti erant, septem honestissimi atque amplissimi viri ad eam alacriter accesserunt jurisjurandi Religionem, qua ipsa tenebatur. Juratum est, sibi certum fore rem omnem juxta peractam fuisse, atque illa affirmaverat.

Omnia nimirum ita fuerunt, ut intelligi facile possit, naturalem Ducis debilitatem compertam, probatamque fuisse eo judicii ordine, quem fori politia confirmaverat. Ergo Metropolitana Neapolitana Curia jure decrevit, manifestis rebus teneri naturalem illam impotentiam, quæ Martio Carafæ Magdaloni Duci objecta est; proindeque irritas fuisse nuptias inter eumdem, ac Mariam Josepham de Cardenas Comitis Acerrarum filiam sociatas. Facta autem provocatione nihil allatum est, aut afferri potuit, quod ad rescindendam Curiæ sententiam ullo potuisset esse argumento. Quin immo Dux debilitatis conscius suæ, cum eam semel, & iterum in primo judicio confessus esset, in novo judicio, rescissis actis, quæ nomine suo instructa fuerant, Curiæ sententiam amplexus est, atque ritam ratam habuit, accepitque. Quocirca rebus omnibus deliberatis, pronuntiandum fuit: *Bene judicatum, & male appellatum*.

ILDEPHONSUS Episc. Motulen.

Jo: Baptista Adone Cancellarius.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

IL Rè ha trovata fondata in fatto, ed in legge la sentenza della nullità del Matrimonio del Duca Maddaloni, e di D. Maria Giuseppa de Cardenas, interposta da V. S. Ill. destinata da S. M per Giudice d'appello in tal causa; e l'ha trovata ancora conforme non meno ai voti consultivi de' due de' tre intervenuti, che all'altro del defonto Teologo di Corte P. Maestro Marone, i quali dalla M. S. furono destinati per l'esame della causa suddetta. Lo rescrivo a V. S. Illustrissima per sua intelligenza, e perchè diasi a tal sentenza il corso regolare. Palazzo 9. Agosto 1758.

CARLO DEMARCO.

Ill. Sig. Monsig. Vescovo di Motola.

In

In causa nullitatis Matrimonii inter Ill. Ducem Magdaloni D. Martium Carafa, & D. Mariam Josepham de Cardenas, ut ex actis.

Die 11. mensis Augusti 1788. Neap.

Visis sententia per nos lata sub die 7. Mensis Julii currentis anni fol. 126., ac Regali Rescripto diei 9. currentis mensis Augusti per Regalem Secreteriam Status Negotiorum Ecclesiasticorum expedito fol. 127. - Per Ill. & Rev. Dominum D. Idelphonsum Ortiz Cortes Episcopum Motulen., ac in praesenti caussa Judicem adpellationis per S. R. M. specialiter deputatum, fuit provisum. & decretum, quod pro executione supradicti Regalis Rescripti sententia praedicta per nos sub dicta die 7. mensis Julii lata publicetur. Hoc suum.

ILDEPHONSUS Episcopus Motulen.

Jo: Baptista Adone Canc.

Testi-

Digitized by Google

Testimoniale della Curia Arcivescovile sullo stato libero della Duchessa di Maddaloni.

Cur. Arch. Neap. N. 1.

Antonius Bucci V. J. D. Sacræ Theol. Mag. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Orthosiæ, ac Eminentiss. & Reverendiss. Domini D. Josephi Mariæ tituli S. Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyteri Cardinalis Capyci Zurlo Archiepiscopi Neapolitani in Spiritualibus, & Temporalibus Vicarius, Locumtenens, & Officialis Generalis.

UNiversis has nostras præsentes Literas visuris, inspecturis, lecturis, sive legi audituris fidem facimus, atque testamur, qualiter sub die 16. Octobris anni 1774. in Paræcia S. Mariæ de Advocata hujus Civitatis Neapolitanæ contractum fuit matrimonium inter Illustrem Virum D. Dominicum Martium Carafa Ducem Magdaloni, & Illustrem Dominam D. Mariam Josepham de Cardenas ex Comitibus Acerrarum. Introductaque deinde Causa in hac Curia Archiepiscopali Neapolitana super nullitate ejusdem matrimonii servatis servandis prodiit tandem Sententia, qua dictum fuit, constare de absoluta, & perpetua impotentia dicti Illustris Ducis ad matrimonium consumandum, ac proinde matrimonium inter ipsum, & prædictam Illustrem Dominam D. Mariam Josepham fuisse, & esse nullum propter antecedentem præfati Illustris Ducis impotentiam perpetuam, & absolutam. Per appellationem autem interpositam, die 7. Julii 1788. fuit pronunciatum bene fuisse judicatum per Archiepiscopalem Curiam, ac male appellatum pro parte Illustris Ducis Magdaloni, & Defensoris validitatis matrimonii in vim constitutionis fel. rec. Benedicti XIV. incip. Dei miseratione; proindeque constare de antecedenti, absoluta, & perpetua impotentia coeundi Dominici Martii Carafa Illustris Ducis Magdaloni, ac nullum fuisse, & esse matrimonium inter eumdem Illustrem Ducem, & Illustrem D. Mariam Josepham de Cardenas ex Comitibus Acerrarum contractum die 16. Octobris 1774. propter impotentiam antecedentem absolutam, & perpetuam ejusdem Illustris Ducis, & per consequens exequendam esse Sententiam per Archiepiscopalem Curiam Neapolitanam latam sub eadem die 4. Decembris 1784: quæ Sententia die 9. Augusti 1788. per S. R. M. probari meruit, veluti fundata tum in facto, tum in jure, atque in hujus Regiæ Probationis sequelam die 11. dicti mensis Augusti Decretum prodiit per eumdem Judicem Appellationis a prælaudata S. R. M. specialiter Deputatum, quod pro executione Regalis Rescripti prædicta Sententia diei 7. mensis Julii publicaretur, & successive die 27. Augusti ejusdem anni latum fuit aliud Decretum, quod eadem Sententia assumpserit jam Rei Judicatæ authoritatem; ac proinde volitum, ut rescriberetur huic Curiæ, quatenus suam Sententiam executioni demandaret, & pro ejus effectu transmitterentur, prout transmissa fuerunt

Acta

Acta Causæ. In executionem igitur prædictorum Decretorum mandatum fuit ab hac Archiepiscopali Curia ut in libro Parochiali matrimoniorum præfatæ Parœciæ S. Mariæ de Advocata adnotarentur omnes Sententiæ, & Decreta in eadem Causa edita, atque simul in eodem Libro insererentur, prout adnotata, ac simul respective inserta fuerunt eodem loco, quo antecedenter scriptum fuerat, prædictum matrimonium nulliter contractum, & quoniam speciali hujus Curiæ decreto mandatum fuit, ut omnium harum rerum fides traderetur, idcirco hoc veritatis testimonium censuimus hisce literis consignare; declarantes *in vim Sententiæ hujus Archiepiscopalis Curiæ* confirmatæ in gradu adpellationis, *atque probatæ per S R. M.*, quæ postmodum in rem judicatam pertransiit, præfatam Illustrem D. Mariam Josepham *liberam esse, & solutam a vinculo dicti matrimonii*, atque posse, prout libuerit ad alia vota transire, dummodo non obstet aliud Canonicum impedimentum. In quorum fidem &c. Datum ex Curia Archiepiscopali Neapolitana die 6. Septembris 1788.

Rappre-

Rappresentanza del Cardinal Arcivescovo al Sig. Cavalier Acton Segretario di Stato per la Causa dell' Alfiere D. Lorenzo Blanco presentata li 28. Gennaro 1785.

ALLE insinuazioni fatte a questa mia Arcivescovil Curia col mezzo del Delegato della R. Giurisdizione, perchè dovesse procedersi nella Causa della Validità, o Invalidità del Matrimonio trà l' Alfiere D. Lorenzo Antonio Blanco, e D. Raffaela Petruccelli, unitamente col Tribunale Misto in qualità d' Aggiunto, con doversi portare il mio Vicario nel Tribunale suddetto a proporla come per gl' incidenti, così per lo Decreto definitivo: e che intanto si sospendessero dalle loro respettive Cariche il Paroco Vetromile, e l' Economo Catucci col Mandato per Palatium, e si disponesse in Carcere l' Assistente Grandinetti; ho il vantaggio di far presente a V. E., che per questa ultima parte sono stati puntualmente eseguiti i Reali Cenni, trovandosi già in queste Carceri ristretto il Grandinetti, e col Mandato per Palatium i suddetti Paroco, ed Economo.

Ma per la prima parte obbligo preciso mi stringe di umiliare le mie suppliche a S. M. colla mediazione di V. E. affinchè con quella Clemenza, ch' è propria del Suo Real' Animo, si degni di mantenere quel buon' Ordine, che vien prescritto dalla espressa Dogmatica Definizione del Sagro Concilio di Trento *Seff. 24. de Sacram. Matrim. Cap. 12.* = *Si quis dixerit Causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anatbema sit*, = Come ancora tutto ciò, che vien stabilito nel Concordato colla Santa Sede al *Cap. 6. Art. 3.*, ove dicesi, che = *Spetteranno parimente ai soli Giudici Ecclesiastici privativamente le Cause Matrimoniali, nelle quali si tratti sopra la Validità, o Invalidità del Matrimonio, come de' Sponsali.* = E similmente la Pratica, che per antica osservanza si è sempre eseguita in questo Regno, e dappertutto intorno al giudicare del Matrimonio; del qual Sagramento, perchè rappresentante l' intima strettissima unione di Gesù Cristo colla Chiesa, lo stesso S. Paolo si ebbe a protestare, che non già Egli, ma il Signore ne comandava la indissolubilità.

La religiosità e'l vivo zelo di cui arde la Maestà del Nostro Sovrano pe'l maggior vantaggio di questa Disciplina della Chiesa, mi fà sperare, che abbia a risolvere tutto ciò, che trovasi prescritto, stabilito, e sin'ora inviolabilmente osservato. E pieno di stima costantemente mi dichiaro.

Digitized by Google